

SERENISSIMO PRINCIPI

HENRICO A LOTHARINGIA
COMITI DE HARCOVRT
VTRIVSQVE ORDINIS EQVITI TORQVATO, PARI FRANCIÆ,
Supremo Hipparcho, nec non ſuperioris & inferioris Alſaciæ Proregi,
FELICITATEM.

INSOLENTIAM efferueſcentis audaciæ meæ ſublimitas tua ferat oportet, SERENISSIME PRINCEPS, *quippe quæ tantam cauſam ipſa miniſtrauit; tractus enim è caſtris, in quæ nuper te Duce dederam me, in tranſtra medica, veritates pathologicas aduerſus fortiſſimos athletas defenſurus, alium præter te patronum hiſce quæſtionibus adſciſcere nec potui, nec debui: Beneficiorum* ἅμαξα καὶ σώρακος, *quibus me multis abhinc annis vadatum obſtrictúmque tenes, tuam rursùs opem in hoc ancipiti admodùm, & operoſo certamine polliceri videbantur. Nam quî fieri poſſet, vt quem toties omni ratione domi foriſque leuaueris, eundem impræſentiarum pro derelicto habeas, in hoc præſertim negotio, in quo non de fortunis tantùm, ſed de noſtræ quoque, quantulacunque ſit, famæ diſcrimine agitur? Meliùs ominari de te liceat*, INVICTISSIME PRINCEPS, *cuius benignitas tanta, vt nemo vnquam à te triſtis aut exſpes diſcedere viſus fuerit. Neque ego tuam auxiliarem manum ab humanitate ſola præſtolari compellor, ſed & ab inuicto illo ac pluſquàm Herculeo animi tui robore ac fortitudine penitùs inauditâ, quæ non in expugnandis vrbibus duntaxat, aut delendis arcendiſue hoſtibus, aut denique rebellibus edomandis, ſed etiam in ſubleuandis iis omnibus potiſſimùm elucet, qui aut de fortunis aut de capite, aut demùm de famâ ipsâ, qua nihil prius aut antiquius eſſe debet, periclitantur. Patere ergo*, PRINCEPS HVMANISSIME, *hoc præſertim nomine te à ſeriis illis ac decretoriis pugnis ad noſtras* σκιαμαχίας *aliquantiſper ſubduci, aut ſaltem huic medico programmati tuam inſculpi imaginem, eo ſcilicet ſenſu, vt quemadmodum Ziſca bellicoſiſſimus in Boëmia dux, cadaueri ſuo pellem adimi iuſsit, ex qua tympanum fieret, ad cuius ſonitum ſtatim hoſtes verterentur in fugam, ſic Iatrogoniſtæ quantumuis alacres conſpecta hacce tui abſentis effigie, velut Ægide percuſſi illicò terreantur, obmuteſcant, ac tandem relictâ non bene parmulâ fugam quàm citiſsimè maturent: Ita cùm nullibi non victor, vbique triumphator extiteris, æquum erit, vt quæcumque in hoc certamine ſpolia legentur, tibi tanquam Feretrio Ioui accepta quoque referantur. Viue interim tibi dum optamus pariter & acclamamus, quod trium phantibus olim Imperatoribus occinebatur;* De noſtris annis tibi Iuppiter augeat annos.

Tuus humillimus & addictiſſimus Cliens, D. ARBINET.

QVÆSTIO MEDICA,
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XI. IANVARII,

M. GERMANO HVREAV, Doctore Medico, Moderatore. 1009

Vtrum alterantia præmittenda purgantibus?

NATVRÆ primus artifex quæcùmque cælorum ambitu tenentur, corruptioni obnoxia eſſe voluit; ſic tamen vt ſuomet interitu renaſcerentur; id præſtat amica qualitatum inter ſe pugnantium concordia; quæ dum ſingulis rebus creatis perennitatem denegat, facit, vt vniuerſæ ſuam Creatori perpetuitatem acceptam ferant; ab hac contrarietate & indeſinente qualitatum principum ἀνομοίᾳ, ſanitatis & morbi viciſſitudines, quibus Medicus φιλόσοφος, ἰσόθεος, & Naturæ μιμητὴς ritè præpoſitus, duplicem in agendo ſcopum intendit, dum Naturam ſimilibus tueri, morbum depellere contrariis nititur pari gradu, non imbecillioribus, quæ forent irrita, non vehementioribus, quæ damnis augerent ægrotantes, ſed morbo analogis, ſenſim à blandioribus, quæ Naturæ magis ſunt εὐπρόσφυτα ad fortiora progrediendo, dum ad æqualia ventum ſit. Omne remediorum genus hac contrarietatis lege tenetur, καὶ τῇ ἐνεργείᾳ καὶ τῇ δυνάμει: Remedium non vnicum eſt, vt nec vna ſanitas, nec vnum alimentum, nec humores hominis elementa, primis illis mundi corporibus perfectè reſpondentes. Quot modis à ſanitate receditur, tot artibus ad illam accedimus; prodeſt quidem vnum ſæpe multis & contrariis affectibus præſidium, non æquè tamen omnibus; imò cuilibet morboſæ διαθέσει ſuum eſt peculiare remedium, ita ſibi proprium, vt nulli magis; illudne quæris? ſuos tibi Natura theſauros & opes in plantarum, animalium & metallorum familiis, pro temperamentorum, ætatum, ſexuum, regionum, & morborum diuerſitate diſtribuendas abundè ſuppeditat.

IN iſta rerum οὐλομελίῃ, copiâ & varietate, alimenta, medicamenta & venena promiſcuè reperias: velut hæc capitali nobiſcum odio pugnant, ſic illa ſociali nobis fœdere coniunguntur; cætera media ſunt perpetuis ſanitatis & morbi litibus dirimendis feliciter nata, ſeu nimirum auctam in humoribus partibuſque δυσκρασίαν exuperante ſua qualitate vincant, noſtrumque corpus alio quouis modo immutent & alterent, ſeu ſuperfluos & alienos humores inſita vi & peculiari quodam inſtinctu pelliciant, eoſque vel ἄνω, vel κάτω vacuent. Optimum purgationis genus quod deiectione fit, ſuis quoque dotibus non caret vomitio, quam planè non rejecit Aſclepiades, etſi ferè quotidianam ætate ſua meritò damnauerit, hac quippe non vorandi voluptatem, ſed ſanandi facilitatem quærimus; huius motus minimè παρὰ φύσιν, tam vtiliter à natura quàm ab arte procuratur, extirpatis ſemel humoribus, quos κάθαρσις non ſemel iterata incaſſum tentaret eluere, ſic longam diarrhœam & vomitum vomitu curabis; quid eo in ſoporoſis affectibus viſcerum inferiorum conſenſu natis reuellendo potentius? quid contrahendæ febrium intermittentium prolixitati κατ' αὐτὴν τὴν λῆψιν conducibilius? Emetica plus nocent leuia quàm fortiora, modò ne deleteria, apage ideo veterum ſyrmaïſmos & elleboriſmum, ſecus fit in purgantibus, quæ mitiora in acutis, at pluries repetita ferè ſufficiunt.

TOT tantaque præſidiorum genera nobis indicauit prudens ſolerſque Natura, ſuis operibus planè conſentanea; quam in omnibus rectè operantem ſequitur artifex, aſſequitur, nonnumquam ſuperat; caueat tamen ne ſuæ ſortis oblitus, illius imperium & iura tantiſper violet, hac ſine qui cum morbo pugnat, Medicus non eſt; ea licet ἀπαίδευτος initio morbi explorare videtur qua ratione pugnam inſtruat collectis viribus morbo impar, coctionem nihilominus aggreditur, impura & corrupta ſenſim alterando à puris & vtilibus quaſi per διάκρισιν ſecernit; denique vt varia eſt humorum conditio, vel lentè diſſipat ac deponit, vel impetu facto reſeratis vndique clauſtris foras extrudit; humorem imparatum nec ſalutariter vſquam deiecit Natura, nec ars debuit aut potuit: is ordo tam legitimus eſt, vt vnum remedium ad alterum via ſit atque præparatio; is ſi peruertatur, omnia ſuſque deque ruunt; prima regione proluta frequentibus enematis, locus eſt venæ ſectioni per ἐπαφαίρεσιν, identidem celebrandæ, ſimul tenuis & exquiſitus victus, interdum inedia, potiones alterantes, incidentes, aperientes ac detergentes leuioribus primùm catharticis, leuioramochlicis, niſi morbus vrgeat, nunquam non antemittenda.

PVRGATIONIS opportunitatem oſtendunt morbi tempora, vacuandorum humorum concoctio, corporiſque conditio; hæc tria ſi conſentiant, facilis ea futura eſt & εὐφορωτάτη, non copiâ ſolùm æſtimanda, ſed maximè vitioſi humoris ſpecie & natura, ſuis abſoluta numeris, quam moderata ſitis excipit & quies ſedato ſpirituum motu placidiſſima; quidquid aliter contigerit, ne nimiùm confidas, morbus facilè παλιγκοτεῖ, fucata pax, ſpeſque fallaces ὑποστροφὰς minantur, velut natura victrix ἀρτίως iudicat, ſic ars domitis humoribus non parcit, ſed ad vnum exterminat; vtilius eſt nihil mouere quàm fruſtra, namque exagitatus humor & latè diffuſus ſuſcitato vapore tetro corpus inflat ac diſtendit; hinc laſſitudo, capitis dolor, aliaque ſymptomata; caue tamen ne quid nimium, diſſipata quippe virium ſubſtantia, vtile noxio permixtum eripitur; pinguedo, ramenta, liquamina, puruſque ſanguis exeunt, non ſine torminibus, cardialgia, æſtu, anxietate, iactatione, animi deliquio, & calamitoſa virium omnium exolutione, vt tandem velut ab aſſumpto veneno fatum extremum immineat.

QVISQVIS tot purgationis incommoda vitare ſtudes, tum corpori, tum humoribus εὔροιαν conciliabis, ea quouis tempore & loco in acutis & chronicis pariter exoptanda; nuſquam certè magis exſplendeſcit artificis induſtria: litus, fotus, balnea, frictiones, hypocauſta, enemata, ptiſanæ, propomata, veterum inuenta ſunt, ſequens ætas addidit ſyrupos, iulepos, apozemata, iuſcula herbis alterata, condîta, electuaria & crebriorem quàm olim venarum ſectionem, quæ ipſa inter vacuantia & alterantia remedia principem obtinet locum, nimirum ſubſtracto morbi fomite, repreſſaque humorum phlogoſi, faciliùs acres, ac præferuidi ſucci frigidorum vſu temperantur, maligna putredo acidis, odoratis, & modicè adſtringentibus edomatur, firmatâ viſcerum ſubſtantiâ, lenti & glutinoſi interniſque meatibus pertinaciùs adhæreſcentes amaris, nitroſis, ſalſis, & acribus, id quod Galenus olim hedychroo præſtitit, inciduntur ac deterguntur, duri emolliuntur, liquidi incraſſantur, ſic tandem explanatis excrementorum itineribus, morborùm materia fluxilis & expedita quocumque vocaueris, parata eſt ſequi.

Ergo alterantia præmittenda purgantibus.

Proponebat Lutetiæ DANIEL ARBINET, Belnenſis, A. R. S. H. M. DC. LII.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI,

M. Claudius Guerin.
M. Petrus Yuelin, Med. Reg.
M. Mathurinus Denyau.

M. Franciſcus le Vignon.
M. Petrus Legier.
M. Ioannes Pietre.

M. Iacobus Iouuin.
M. Hermanus de Launay.
M. Philippus Harduin de S. Iacques.